Prolusio

de

MYTHO ARISTOPHANIS

in Symposio Platonis

Examini

in Lyceo Gubenensi

d. XV. Octob. CIↃIↃCCXCIX

hora nona

habendo

praemissa

a


M. Henrico Ludouico Hartmanno

Conrectore.



Gubenae

ex officina Brükneriana.



Q. B. V.

Iamdudum quidem multi fuerunt, qui de mythis Platonis in vniuerſum agerent, atque de ſingulis etiam ſententiam breuiter dicerent, 1. ſed, qui ex omni parte ſingulos conſiderauerit, qui in eorum argumentum, conſilium, indolem, fictionis cauſſas, fontes accuratius inquiſiuerit, non reperi. Equidem valde dubito, an iuſtam rationem ſequuti ſint, qui vniverſam expoſitionem ſuſciperent, ſingulari ſeu particulari nondum

1. Sufficiat nominaſſe recentiſſimum de hac re libellum, quem de mythis Platonis a. CIƆIƆCCLXXXVIII. ſcripſit Hüttnerus, collegae cariſſimi filius, qui multorum prouidus urbes & mores hominum inſpexit, & non mediocrem nominis celebritatem aliis quoque ſcriptis iamdiu conſequutus eſt. Libri eorum, qui hac de re agunt, paſſim in libello laudato commemorantur.

dum praegressa. Non enim fieri potest, quin multa ambigua & incerta in disputatione de mythis resideant, nisi antea natura singulorum diligentius explicata sit atque declarata. Ab interpretibus libellorum ipsorum, quibus mythi inserti sunt, non facile potest eiusmodi vberior tractatio postulari atque exspectari, quum eorum opera magis pertineat ad sensum verborum atque loquendi formularum indagandum, ad nexum locorum declarandum, & ad veritatem aut vitiositatem lectionum diiudicandam. Quum igitur vt omnino singulorum Platonis mythorum, ita etiam eius, qui Aristophani in Symposio tribuitur, 2. neque copiosior expositio apparuerit, neque etiam interpretis singulorum philosophi scriptorum esse videatur: nemo mirabitur, me nunc operam suscepisse, de mytho Aristophani poëtae tributo 3. diligentius disserendi. Opera autem mea ita versabitur in hac quaestione tractanda, vt primum *de argumento & consilio mythi;* deinde *de indole ejus atque natura;* tum *de caussis, cur Plato eum Symposio intexuerit;* denique *de fontibus* exponam.

Iam quum ad omnem rem opus esse videatur, vt mythus ipse praemittatur: hoc nunc officio ita fungar, vt non tam versionem Aristophanis verborum exhibeam, quam primarias mythi partes enarrem. „*Antiquissimis temporibus tria hominum fuerunt genera, masculum, femininum, androgynum;* 4. *quorum primum a Sole, secundum a Terra, tertium a Luna originem*

2. Cap. XIV, 3. ff.

3 Aristophanem comicum intelligendum esse, partim omne mythi exornationisque eius ingenium ostendit, partim locus (cap. XXXVI, 6.) docet; vbi ad Aristophanis Nubb. v. 362. ita alluditur, vt versus nostro Aristophani tribuatur.

4. Conf. cap. XIV, 3.

originem traxit. 5. *Quoduis horum genus erat duplicatum, ita vt frontem omnesque ceteras corporis partes haberet duplicatas.* 6. *Homines ex genere masculo, ab vtraque parte virili erant forma; illi e genere feminino constituebant singuli binas feminas; isti e genere androgyno, ex parte erant mares, ex parte feminae.* 7. *Iam quum tria haec genera ipsa forma sua essent robustissima roburque suum sentirent, seditionem mouerunt contra ipsos deos.* 8. *Dii autem quum diu deliberassent, quomodo audaciam illorum frangerent atque coërcerent:* 9. *Iupiter sibi reperisse videbatur, quo & eorum temeritas cohiberetur, & dii non tantum nihil detrimenti, sed vtilitatis quoque caperent. Caeteris igitur diis sententiam ita exposuit, vt diceret, se quoduis illorum generum in duas diuisurum esse partes, quia sic futurum esset, vt & imbecilliores homines redderentur, & numero plures plura etiam offerrent sacrificia.* 10. *Quod quum reuera & quidem facili opera fecisset, Apollinem os in eam corporis partem vertere iussit, qua sectio facta erat, vt semper impietatis poenaeque essent memores.* 11. *Iam homines illi quum post sectionem, Apollinis in primis opera, coitum exercere seque propagare non possent, quum indies desiderio alterius suae partis languescerent atque perirent,*

5. Conf. cap. XIV, 6.

6. Conf. cap. XIV, 4.

7. Haec descriptio partim quoad sensum inest c. XIV, 4. ,partim elici potest ex cap. XVI, 1. 2. 3.

8. Conf. Cap. XIV, 7.

9. Conf. XV, 1.

10. Vid. cap. XV, 2.

11. Vid ibid. §. 3.

viuent, metuendumque eſſet, ne totum humanum genus periret: Iupiter tandem miſericordia ductus, caput rurſus inuertit, ita vt nunc liberos procreare poſſent." 12. — Non omnia in hoc mytho ita ſunt comparata, vt iis omiſſis conſilium Ariſtophanis primarium teneri non poſſet, immo nonnulla ad illuſtrationem & exornationem tantum pertinent. Conſilium poetae poſtulabat, vt primum commemoraretur triplex hominum genus, duplicatis corporis partibus inſtructum; deinde diſſectio a Ioue inſtituta; denique deſiderium ſeparatae partis ex coniunctione priſtina exortum. Ad illuſtrationem autem pertinent ea, quae Iouem ad ſectionem mouiſſe dicuntur: nimirum ſeditio antiquiſſimorum hominum in deos mota, quae quidem proxima ſectionis erat cauſſa; & vtilitas e multiplicatis hominibus ſperanda. Quae porro Apollini tribuitur inverſio oris ad eam partem, vbi ſectio facta erat, ea quidem tantum ad exornationem pertinet. Ariſtophanes enim inuerſione hac commemorata nil niſi Iouis iram ſiſtere & declarare vult, vt paulo inferius reſtitutionem prioris formae a miſericordia, lucri ſtudio excitata, originem traxiſſe, non obſcure ſignificat. Iam vt haec, quae hactenus dixi, plus accipiant lucis, de *conſilio* orationis Ariſtophanis, quae mytho illo, tanquam fundamento, nititur, pauca adiicienda ſunt. Ariſtophanes ipſe conſilium] ſuum in vniuerſum ſic declarat: „ἐγὼ πειράσομαι ὑμῖν εἰσηγήσασθαι τὴν δύναμιν ἔρωτος. 13. Vim igitur & potentiam Amoris vult enarrare. Quae autem illa eſt vis & potentia? Oratione poëtae ad finem perlecta apparet, eum deſcribere voluiſſe vim eam; quam exercet non tantum in homines diuerſi ſexus, ſed etiam in homines vnius eiusdemque generis, adeo vt vis illa & potentia inſit in ambitu, quem Amor habet. Quum enim antiquum

12. Vid. ibid. §. 5, 6.

13. Vid. XIV, 2.

quum hominum genus masculum e duobus maribus compositum esset, nunc post sectionem adhuc masculi sunt, qui cupiditate sui sexus ferantur, appetentes quasi seiunctae suae partis; quum homines e genere feminino vetere duabus feminis constarent, nunc etiam mulieres quaedam sui sexus sunt cupidae; quum denique androgynum genus ex parte esset masculum, ex parte femininum, nunc quoque mares feminarum amore ducuntur, tanquam studiosi alterius suae partis. 14. Haec igitur est vis illa Amoris, quam Aristophanes enarraturus erat, eaque cernitur in varietate seu ambitu amoris, qui ab hominibus partim in suum, partim in alterum sexum exercetur. Iam ex his modo dictis cuique etiam apparebit, sententias mythi primarias supra allatas recte esse ex omni mytho erutas. Nam ad illam amoris varietatem explicandam, opus erat fictione hominum duplicium, deinde seiunctorum suaeque partis separatae cupidorum.

Transeundum nunc est ad descriptionem *indolis* & *naturae* nostri mythi, qui a caeteris mythis Platonis, nominatim eo, qui infra 15. Socrati tribuitur, admodum diuersus est. Nimirum mythus Socratis argumenti est magis serii & ita compositus, vt artificiosius omnia ea inde deriuentur, quae Socrates de natura Amoris dicit; Aristophanis autem mythus pertinet ad laetius mythorum genus atque facili opera ei omnia superstruuntur, quae ad ambitum imperii Amoris illustrandum proferuntur. Vt igitur Socrati animus erat, mytho suo magis edocere, quam delectare, sic Aristophanis animo magis hoc propositum erat, vt auditores exhila-

14. Conf. XVI, 1. 2. Hic enim locus, cuius sensum in contexta oratione expressi, videtur primarius esse, si de consilio Aristophanis quaeratur.

5 Vid. XXIII, 4. 5. 6.

exhilararet. 16. Hic Aristophanis animus vt ex mytho ipso facile intelligitur, ita etiam ex reliqua eius oratione luculentissime elucet. Nemo nunc dubitabit, quin indoles mythi antea descripta ingenio Aristophanis accommodata, atque adeo notae Platonis diligentiae exemplum sit clarissimum, qui quidem personas dialogorum ita solet sistere, vt partes, quas agunt, ab ingeniis ipsarum non sint alienae. 17. Quomodo enim aptius mores Comici exprimi poterant, quam ita, vt id soluta oratione facere iuberetur, quod vincta facere consueuerat? Notum est, comoedias eius iocis plenas esse & ad risum mouendum idoneas. Iam quis est, qui non sentiat, eundem iocandi amorem argumento & exornationi mythi inesse. 18. Porro inter omnes

16. Ad illustrandum hoc de Socratis & Aristophanis mythis totisque orationibus iudicium non singuli loci sufficiunt, sed totae orationes ponderari debent.

17. Sic Eryximachi oratio plane ita conficta est, vt nihil ei inesse intelligatur, quod ingenio illius vitaeque generi repugnet. Ex historia enim constat, eum filium fuisse Acumeni medici, ipsumque eidem arti operam dedisse. Hinc, quum quisque suo vitae genere delectetur, oratio eius continet praecepta diaetetica (cap. IV, 5.) & omnino nemini magis, quam medico, conuenit. Similiter Plato etiam Agathonis ingenium atque dictionem vere studuit exhibere atque imitari. Nam, vt ex Athenaeo patet, ingeniosus videri voluit, cumulauitque isocola & antitheta. Eadem quaesita styli venustas invenitur etiam in iis, quae ab Agathone in honorem Amoris (c. XVIII. XVIIII.) proferuntur. Eodem modo Socratis & Alcibiadis orationes ipsorum ingeniis conueniunt. De reliquorum, Phaedri & Pausaniae, orationibus nihil adiiciam, quum hi non ita noti sint ex historia, vt certo iudicare possimus, an orationes ingeniis eorum sint accommodatae.

18. Iocandi lubidinis vestigia impressa sunt v. c. cap. XV, 2. vbi de motu & incessu antiquorum hominum sermo est; cap. XV. 3. vbi sectio illorum ridiculo modo describitur; cap. XV. 3. ext. & 4, vbi inuersio capitis illorum per Apollinem enarratur; cap. XVI. 11. vbi de sectione rursus metuenda, nisi in deos modesti satis fuerimus, dicitur. Etiam alii loci hanc in rem laudari possent, nisi iam sufficeret, primarios attulisse.

omnes constat, poëtam illum lubenter deos risisse. Idem animi studium prodit in variis mythi & reliquae orationis locis, leuitatis speciem habentibus. 19. Vt igitur Plato Aristophanis ingenium atque mores aptissimis coloribus depinxit, ita etiam simul curauit, vt mythus cum adiuncta oratione in omni dialogo locum obtineret commodissimum. Septem enim orationum Symposii Aristophanis est media, atque adeo, quum reliquae magis sint seriae, ad exhilarandam Symposii societatem quam maxime valere poterat, adeo vt dialogus ipse oratione poëtae reuera fiat symposiacus. Patet nunc ex modo dictis, indolem mythi eam esse, vt hic partim sit ex laetiori genere, partim etiam & personae & omni loco, quem obtinet, conuenientissimus.

Nunc facile etiam *caussae* afferri possunt, *cur mythus Aristophanis Symposio intextus sit.* Plato eum inseruisse videtur, quia sic consilium Aristophanis, varium Amoris imperium declarandi, facillime teneri, atque adeo nullo negotio intelligi posset, quomodo vsu venisset, vt alii suum sexum, alii alterum amarent. Haec enim varietas amoris quomodo facilius explicari poterat, quam ita, vt mythus fingeretur de antiquo hominum genere triplici, duplicato corpore constante? Praeterea ipsa dialogi ratio, symposiacos sermones continentis, Platonem mouisse videtur, vt hunc laetioris generis mythum intexeret. Quae quidem caussa, vt facile cuiuis in mentem venit, ita non opus est, vt vberius de ea agatur. Statim igitur ad tertiam caussam transibo, quae non tantum in hoc, sed etiam in aliis mythis Platonem

19. Quaedam eiusmodi leuitas inest in ratione, qua Iupiter de hominum antiquorum insolentia deliberans eorumque poenam constituens sistitur; vid. c. XV, 1. 2.

tonem mouiſſe videtur. Haec, vt cum aliis puto, 20. quaerenda eſt in ingenio eius poëſeos amante, quod etiam in aetate virili, quanquam numeris & verſibus abſtinuit, non plane exuit.

De *fontibus* mythorum Platonis in vniuerſum non vna virorum doctorum eſt ſententia. 21. Alii enim arbitrantur, Platonem ſua ex Aegyptiis & Pythagoraeis ſumſiſſe, vt Heynius; 22. alii putant, nonnullos mythos, nominatim qui de Orco agunt, hauſtos eſſe ex Orphicis, vt Wolfius; 23. alii nonnullorum auctorem Socratem exiſtimant, 24. alii denique religionem popula-

20. Hüttnerus in primis menti obuerſatur, qui quidem non ſingulatim de noſtro mytho ita ſtatuit, ſed tamen in vniuerſum dicit, mythos Platonis ingenio etiam eius ad poëſin procliui deberi. v. libellus eius de mythis Platonis p. 14.

21. Vid. Hüttner. lib. l. p. 11. ,vbi etiam libri laudantur, quibus variae de fontibus mythorum Platonis ſententiae inſunt.

22. Excurſ. XIII. ad Virg. Aen. l. VI.

23. Vid. Wolf. Ueberſicht des Inhalts p. 72. not.

24. Vid. idem Hüttner. lib. l. p. 10. ,vbi Meiners. Geſch. d. Wiſſ. T. II, p. 420. not. laudatur. Haec ſententia, quanquam habet, quo nitatur, quum multa in Platonis ſcriptis e Socratico fonte fluxiſſe videantur: tamen ratione omnium Plat. mythorum non probari poteſt. Multorum enim argumentum & indoles eſt eiusmodi, vt vix Socrati tribui poſſint. Si igitur mythum aliquem Socrati tribuere velimus, in promtu eſt, ante omnia videndum eſſe, an res, quae mytho continentur, ab ingenio Socratis non ſint alienae. Iam ſi noſtrum mythum diligenter perlegerimus, nihil ineſſe reperiemus, quod nos iubeat, Socrati eum tribuere. Accedit, quod non probabile eſt, Ariſtophanem mythum nunc enarrare aliis iam ex ſermonibus Socratis notum, atque adeo ipſo Socrate praeſente. Et ſi etiam concedamus, haec non impedire, quo minus hunc mythum Socraticum eſſe dicamus, tamen non ita ſtatuere poterimus, quum Socrates ipſe, alia de Amore ſententia propoſita, omnes praecedentes orationes, atque adeo etiam Ariſtophanis refutauerit.

popularem & poëtarum carmina fontes eſſe coniiciunt. 25. Quod ad noſtrum mythum attinet prima allatarum ſententiarum veritatis ſpeciem habere videri poteſt, quum reuera in mytho loci inueniantur, qui placitis Pythagoricae ſcholae nitantur. Ariſtophanes ſcilicet antiquum genus maſculum a Sole, femininum a Terra, androgynum a Luna deriuauit. 26. Ex his autem concludi poteſt, Comicum naturam lunae ipſam putaſſe ἀνδρόγυνον, hoc eſt, commune quid cum ſole & terra habentem, atque adeo eandem cum Pythagoraeis de luna habuiſſe ſententiam, qui nimirum recte putabant, lunam a ſole lucem accipere, atque, vt terram, opacum eſſe corpus. 27. At quamuis non prorſus improbabile ſit, Ariſtophanem ſeu potius Platonem mythum ſuum ſcholae Pythagoricae debere, tamen plus ex illo loco de origine androgyni generis concludi videtur, quam vere ineſt. Poterat enim Plato ad Pythagorica dogmata, quae cognita haberet, reſpicere, poterat in iis locis, qui quandam cum Pythagoraeorum decretis ſimilitudinem habent, ad decreta illa alludere, iis ſua ſuperſtruere, & tamen ipſum mythum ſuo ingenio debere. Repudiata igitur hac ſententia, ſequor illorum ſententiam, qui nonnullos mythos a Platone conſictos eſſe cenſent, ita vt etiam noſtrum in numero illorum eſſe putem. Rationes, quibus ad hanc ſententiam moueor ſunt hae: Primum mythus non aliunde petitus cenſeri poteſt propterea, quod omnes eius partes lectorem monent, eum non eius eſſe generis, vt ad varia argumenta accommodari poſſit, ſed potius ad hoc Sympoſium ornandum de induſtria eſſe compo-

25. Vid. quos laudauit Hüttnerus. l. l. p. 11.

26. Vid. c. XIV, 6.

27. Vid. in edit. Wolf. notam Sydenhami ad XIV, 6.

ſitum. Nam hic mythus omni reliquo libelli argumento aptiſſime conuenit, neque leue atque inane additamentum haberi poteſt, quum partim primariam Sympoſii partem conſtituat, partim etiam non mediocri cura compoſitus ſit. 28. — Deinde ſi mythus aliunde hauſtus eſſet, haud dubie ingenio Ariſtophanis non ita accommodatus eſſet, vt ipſe Ariſtophanes ſuum ingenium ſuosque mores ſequi videretur. Si enim omnis locus, comico tributus, non in Platonis ſcripto legeretur, ſi compoſitio eius Ariſtophani ipſi tribueretur, nemo non eum agnoſceret auctorem. Reperimus in eo eandem animi hilaritatem, quae in ipſius ſcriptis delectat; ineſt eadem animi leuitas ratione deorum, qua ipſius comoediae ſunt plenae. Apparet igitur, Platonem dedita opera mythum illum ita finxiſſe, vt reſponderet ingenio poëtae aliunde noto. — Porro etiam ob hanc cauſſam mythus noſter a Platone inuentus eſſe videtur, quia hoc non ſumto varii loci lectorem offenderent, vbi magna orationis Ariſtophanis excitatur ſpes. Quum enim Pauſanias, alius conuiua, laudes Amoris celebrare deſiiſſet, & Ariſtophani pro loco, quem tenebat, verba facienda eſſent: Plato eum finxit repente ſingultu laborare, ita vt Eryximachus, Acumeni filius, ante Ariſtophanem de Amore dicere cogeretur. 29. Singultus autem ille haud dubie non ſine cauſſa a Platone fictus eſt, ſed probabiliter efficere ita ſtuduit, vt Ariſtophanes ridendi occaſionem praeberet & oratio eius eo cupidius exſpectaretur. Praeterea etiam interiecti ſermones, quos Eryximachus finito Amoris encomio cum Ariſto-

28. Nemo erit, qui diligentem Platonis curam non agnoſcat, quum conſilium, quod propoſitum erat, reuera teneatur.

29. Vid. c. XI, 6. 7. 8.

Ariſtophane confert, 30. eius ſunt generis, vt fieri non potuerit, quin magna comicum audiendi apud omnes eſſet aviditas. His igitur omnibus ſic praeparatis, hac magna exſpectatione excitata, num veriſimile eſt, Ariſtophani tribui mythum aliunde iam cognitum? num talis mythus tantopere placere potuiſſet? nonne ita omnium feſelliſſet ſpem? Sed hoc non factum eſt, immo Eryximachus Ariſtophani finita oratione hanc ex animo, ut videtur, tribuit laudem: „ὁ λόγος ἡδέως ἐῤῥέθη. 31. Quam quidem laudem non tantum venuſtates orationis Ariſtophanis reliquae, ſed etiam novitas mythi ipſius peperiſſe videtur. Inſuper etiam non probabile eſt, Platonem recoxiſſe mythum, quia hoc perſona ipſius videtur indignum & quia philoſophus ex ſententia omnium lectorum in Sympoſio diligentiſſimam collocauit operam. Mythus igitur recoctus nil niſi macula, eximio artis operi adſperſa, eſſet, & tamen non exiguam reliquis conuiuis voluptatem attuliſſe, ſpeique magnae iam antea excitatae ſatisfeciſſe reperitur. Denique nonne probabilius eſt, Platonem, qui adoleſcens tantopere poëſi delectaretur, occaſionem fingendi potius quaeſiuiſſe, quam praetermiſiſſe oblatam? His igitur rationibus permotus arbitror, Platonem mythum non aliunde accepiſſe, ſed potius excogitaſſe.

Reſtat nunc, vt ad ea transgrediar, quae occaſionem ſcribendi dederunt. Quum nimirum ex more recepto hoc anni tempore examen in noſtro Lyceo inſtituendum ſit, non tantum muneris ratio poſtulat, ſed etiam animi ſtudium flagitat, vt precibus humaniſſimis Patronos Fautoresque noſtrae ſcholae

30. Vid. c. XIII., 5. 6. 7. 8.

31. Cap. XVII, 2.

ſcholae rogem oremque, velint ita beneuolos erga nos collegas noſtrosque diſcipulos ſe gerere, vt frequentes interſint examini. Equidem collegarum & meo affirmo nomine, nos benevolentiam illam gratiſſimo ſemper agnituros eſſe animo, in primis quum nihil nobis iucundius ſit, quam quod valeat ad excitandum incitandumque diſcipulorum amorem virtutis litterarumque ſtudium. Hanc autem vim Veſtrae praeſentiae certiſſime ſperamus fore, quum neque aetas, neque fama Veſtrae deroget auctoritati. — Nunc quoque pauca de omni examinis ratione adiicerem, ſi, praeter auctores & diſciplinas, etiam modum illos atque has examinando tractandi, oculis aliorum verbis ſubiicere valerem. Quum igitur hoc fieri nequeat, quum quiſque, qui noſtrum tentandi diſcipulos modum cognoſcere velit, ipſe examini intereſſe debeat, plane a deſcriptione examinis abſtineo.

Scripſi Gubenae menſe Septembri CIƆIƆCCXCIX.

